La [illegible]

Giovanni Mazzi. Vede tav. 4 e 6


Deliciae
VRBIS ROMAE.
Divinae et humanae.
Editio
altera, Emendatior.
A. VIRG. PART.
CIↃ IↃC XIII.
Augustae Vindelicor.
ex Chalcographia
Dominici Custod.
C. August.

HIc BAMBERGIACIS ROTA *iuncta* LEONIBVS *est non*,
ASSCHVSINA, *Dei sine mente, & numine, Namque*
Præsulibus te, quod cæli conuexa tuetur



Annumerare suis dignatum Numen honore,
Euexit merito: Illustrissimus, inter auitas
Maiorum effigies semperq; videbere Princeps.

REVERENDISS. ET ILLVSTRISS. PRINCIPI AC DOMINO, DN. IOHANNI GOTTFRIDO, EPISCOPO BAMBERGENSI : S. CÆS. MAI. AD S. S. Apoſtolicam ex Legato : Principi ac Domino ſuo clementiſſimo.

ETSI, Reuerendiſſime, & Illuſtriſſime Præſul, Princeps & Domine Clementiſſime, is nequaquam ego ſum, qui viros Principes, etiamſi fortè illis non prorſus ignotus, cõpellare debeam; nolui tamen committere, quin Reuerendiſs. & Illuſtriſs. Celſ. veſtram, hac quidem oblata occaſione, neq; nunc ſanè primum, ſed, vt nolim proteruè factum accipi, ita infima cum humilitate veniam, quàm maximè demiſsè præfatus, alloquerer, eique hos qualeſcunque conatus meos ſubiectiſſimè offerrem atque dicarem. Inuitant me, vt id faxim, ſi Reuerendiſs. & Illuſtriſs. Celſ. veſtram ſpectem, non quidem talia ac tanta, quæ tanto Principi ſatisfacere poſſint; ſi meipſum conſiderem, aliqua certè cuiuſcunque ponderis. Prodiere, Hæc, anno Seculari ſacro ante hac, ſed non ſatis emendatè, quadamtenus etiam in hiſtoria erratum, nec ſatis

ſatis ad fidem expreſſis, interdum, eiconibus; diſtracta nihilominus dudum exempla omnia. Nunc, cùm plura paſſim viderem expeti, recudere viſum, correctiora, certiora; fidelius expreſſa omnia. De patrono, rurſus, quopiã diſpicienti, Reuerendiſs. & Illuſtriſs. Celſ. veſtra mihi occurrere viſa, ex ipſa vrbe, Roma feliciter confecta Legatione Cæſarea, ſalua & incolumis rediens. Materies ipſa, tota non niſi merè Romana, Reuerendiſs. & Illuſtriſs. Celſ. veſtræ ſe quodammodò deberi mihi innuit, adeoq; ſpem non nullam facit, fore, vt Reuerendiſs. & Illuſtriſs. Celſ. veſtræ non ingrata ſit: quòd Romæ oculis eiuſdem Celſ. veſtræ coràm ſubiecta, & nunc, & quoties poſthac in libello hoc adſpicietur, memoriam ſui coràm viſæ, Reuerendiſs. & Illuſtriſs. Celſ. veſtræ refricatura & renouatura videatur. Quæ porrò Reuerendiſs. & Illuſtriſs. Celſ. veſtræ, cum ante hac eidem alias qualeſcunq; operas meas humilimè offerrem, mens, quàm clemens & prõptus in me animus fuerit, quàm ſe de hoc genus artibus bene & præclarè ſentire mihi, vt ita dicam, conteſtata ſit, prædicare nihil attinet. Quæ certè non minus vehementer me permouerunt, vt Reuerendiſs. & Illuſtriſs. Celſ. veſtræ peculiare quaſi aliquid ipſimet conſecrarem. Quod cùm, vt in re ſubita, & occaſione de improuiſo ſe offerente, aliud ſeſe non exhibeat, ſimul etiam gratulationis quaſi cuiuſdam ſubiectiſſimæ ergò, ob confectum fauſtiſſimè, Dei benignitate, Romanum iter, donec aliquid recentius, & tanto Præſule ſatis dignum reperia-

reperiatur, eidem Reuerendiſs.& Illuſtriſs.Celſ. veſtræ dico,atque of-
fero, eandemque ima cum animi demiſſione obteſtor, vt hoc quid-
quid opellæ meæ eſt,clementiſſimè æqui boniq; faciat, & eundē ani-
mū, quē antea erga me gerebat,benigniſſimè retinere, declarare & o-
ſtendere ne dedignetur. Simul eidem Reuerendiſs. & Illuſtriſs. Celſ.
veſtræ, in meo præſertim artis genere, omni cum obſeruantia,operas
meas qualeſcunque lubens volens omnes defero. Deus Opt. Max.
Reuerendiſſime & Illuſtriſſime Præſul, Domine & Princeps clemen-
tiſſime, Reuerendiſs.& Illuſtriſs.Celſ.veſtram bono ſuorum ſubdito-
rum, & publico, diutiſſimè ſaluam tueatur, atque incolumem : Cui
Reuerendiſs. & Illiuſtriſs. Celſ. veſtræ ergo me, infima cum humilita-
te, enixè commendo. D. Auguſtæ Vindelicorum, Dominicâ Læta-
re, anno à P.V. M. DC. XIII.

Reuerendiſs. & Illuſtriſs. Celſ. veſtræ

Omi cum humilitate & obſeruantia
ſubiectiſſimus

Dominicus Cuſtos glyptes, ciuis
Auguſtanus.

IN AVGVSTISSIMA ET PRÆCIPVA ALMÆ Vrbis Templa, Pontes, Pyramidas, vt hodie apparent, Προσφώνησις.

Cede Ephesina domus, priscorum insania regum
Tuq; Istro incumbens opus admirabile pontis.
Et vos aeria in cælum caligine moles
Cedite, Diis vanis quos finxit vana vetustas,
Vrbibus exitium, labes miserabilis orbi.
Maius opus, doctæq; manus, doctiq; laboris
Signa attolluntur, cani monumenta decoris.
Ite hyemes, cauriq; truces, cæliq; procellæ,
Non pote tanta quati moles, licet omnis ab imo
Venerit inclinare phalanx effusa barathro.
Ecce tibi septem geminis templa inclyta tectis,
Multipliciq; iugo Sacram subnixa per vrbem
Marmora stant extructa Deo, Diuisq; beatis:
Hinc orbis supplex petit, & capit inde salutem.
Hic Tibri iniecti pontes, celsiq; obelisci
Cælum inhiant, monstrantq; viam super ardua rectam.
Hic vt ficta vides, sic Romæ facta videntur.

VII. Vrbis Basilicæ primariæ quæ religionis ergo maximè frequentantur.

Alia Templa.

INDEX DELICIARVM HVMANARVM.

Pons Ælius, nunc, S. Angeli.

Pons S. Mariæ.

Pons Sixti, Milvius dictus.

Pons Fabricius et Cestius, nunc,

Qvatvor capitvm.

Pons Fabricius et Cestius, nunc qvatvor.

Capitvm, ex altera parte visendvs.

Obeliscvs Vaticanvs.

Obeliscvs S. Ioann. Lateranensis.

Obeliscvs S. Mariæ maioris in Exqviliis.

Obeliscvs S. Mavti sev Magvti.

Colvmna Traiana.

Colvmna Antonii Pii.

De Foro Romano, comitio, et Carcere Tvlliano.

I. ECCLE-

L. ECCLESIA S. CRVCIS IN HIERVSALEM.



HOC Templum, summa veneratione cultum in Cælio monte situm, vnum est ex septem maximè religiosis atq; primarijs, mundũ & elegans, ab Helena Cõstantini Magni Imp. matre ædificatum, columnis XX. in quod semel tantum quotannis matronis aditus patet: sunt & hic duo marmorea monumenta, è nigro, subrufo, & candidissimo marmore. Summi altaris tectum 4. marmoreis columnis

mnis

mnis sustinetur. Solum loci illius è terra sancta Hierosolymis aduectum inscriptio testatur: & asylum ibi fuisse sub Romulo, auctamque inde à Tullo Hostilio vrbem, pomœrioque additum olim referunt; vt vbi quondam sceleris impunitas, ibi sub Christo criminum venia tribuatur. Cæterum in hoc templo inuenies mensam Cœnæ Dominicæ, item frenum equi Constantini Magni è clauis duobus confectum, vt ex vno lamina confecta & Imperatoris aureo diademati fuit apposita. Hic quoq; præter alios Benedicti, VII. Pont. Max. tumulus versibus inscriptus: Francisci item Quinonnij, & Bernardini Caraualli, Hispanorum, Cardinalium, ac Petri Albi Belgæ sculptoris egregij: pars item Crucis Dominicæ, eiusque titulus tribus linguis scriptus, eius item crucis, cui latro, à dextris Christi, adfixus fuit, media pars: Denarius vnus ex XXX. quibus acceptis Christum Iudas prodidit, hoc in templo vna cum plurimis alijs SS. reliquijs religiosè asseruantur ac exhibentur.

II. ECCLE-



TEMPLVM in via Appia oblongum, duobus ab vrbe distans passuum millibus, simplicis structuræ, pauimento marmoreo, & adiecto monasterio, sed deserto. Hic primum corpora SS. Petri & Pauli quieuêre: Ara maior quatuor columnis nixa. Tectũ lapideum, vt plurima Romæ. Sub cancellis Stephanus Pp. & martyr conditus. Sacellũ est sub terra cum XII. gradibus & Cryptæ, ac cæmi-

terium B. Callixti Papæ & Martyris. In Templo eodem deſcende pergradus in ſpeluncas, quas Catacumbas nominant, vbi Chriſtiani latebant Tyrannorum metu. Narrant Martyrij palmam XLVI. primos Pontif. illic accepiſſe, vbi eorum corpora etiamnum quieſcant. Adhæc, vt inſcriptio loci teſtatur, CLXXIV. millia Martyrum mortem pro fide Chriſtiana fortiter oppetijſſe. Locus ſanè religiosè cultus, tenebris item ſqualoreq; horrendus: quem ſine facibus, ac ductore loci bene perito, ingredi minimè tutum ſit, adeò anfractibus, mæandris, cuniculis, ac meatibus plenus eſt, vt Labyrinthum intrare videaris. Hodie (vt diximus) Cæmiterium ſeu ſepulchrum Calixti nominant. De mirandis ac ſacris reliquijs, oſtenduntur ad altare ſacelli læui lapidi impreſſa veſtigia Chriſti Domini in cælum ſpectantibus diſcipulis aſcendentis. Cætera ſcriptores dabunt, Onuphrius, Serranus atque Hugonius. Huic templo adiacet delubrum amplum & rotundum, ingentibus marmoreis columnis ſuſtentatum: quod Sulla in ædilitate Marti Gradiuo conſecrauit, audiebanturque ibi hoſtium legati, quos in vrbem nollent admittere ſpeculandi gratia. Eius pars maxima precibus S. Stephani Pont. cum Marti ibi ſacrificare iuſſus à Galieno Imp. eſſet, fertur corruiſſe. Huius templi diſtantia facit, vt interdum æſtuante nimis ſole, eius loco, B. Mariæ Populi ædem ſacram pontifice indulgente, pij obeant.

III. ECCLE



TEMPLVM, vnum inter septem Vrbis Ecclesias, Pontificum olim Romanorum sedes, in monte Cælio: cui nostra tempestate Xistus V. P. P. palatium instauratum à fundamentis adiecit, in quo Lateranensis sæpè Synodus Romæ habita fuerat: Vt in hac Basilica eleganti coronam auream accipere Romani Impp. solebant: vtque pauimentum marmoreum, sic & laquearia inaurata conspicuuntur.

euuntur. Diuorum hic reliquiæ multæ: capita SS. Apoſtolorum Petri & Pauli: S. Stephani tunica ſanguine tincta, & lapidibus perforata: aliaque, de quibus ibidem ad aram ſummam Diploma legitur Sixti IV. Pont. Max. Marmor itidem inciſum cum Gregorij papæ bulla, fidei apud poſteros confirmandæ. Nicolaus eam IV. P.M. valde ad annum Christi M. CC. XCI. inſtaurauit, quod tituli opere muſiuo in fornice abundè teſtantur. Columbas illas ſtriatas Veſpaſianus Imp. Hieroſolymis aduexiſſe traditur.

In ſacello lauacri Conſtantini, membro ædi ſacræ adiecto, vbi à B. Syluestro Conſtantinus lauacro regenerationis tinctus fuit, additum ſacellum, mulieribus ideò clauſum, quòd S. Ioannis Baptiſtæ mortis cauſa mulier Herodias extiterit. Columnæ porphyreticæ cum fricantur, violarum odorem referre aiunt, & è Pilati ædibus allatas, cum porta ex atrio Pilati columnaq;, cui gallus gallinaceus inſidens, terque canens, Petro ter abneganti Dominum fuit pœnitentiæ nuncius. Hic & Arca fœderis, & Aaronis virga, aliaque ab alijs, quos nominauimus, diſertè prodita, & crebrò publice oſtenſa peregrinis hominibus. Hic Sylueſtri II. Pont. Max. Epitaphium verſibus ſcriptum legitur, & Antonij Cardinalis Portugalenſis: item Laurentij Vallæ, ibidem olim Canonici, qui anno CIↃ. CCCC. LXV. Kal. Auguſti quinquagenarius obijt; cum hoc elogio.

Laureus Valla jacet, Romanæ gloria linguæ:
Primus enim docuit, qua decet arte loqui.

Ibidem & Porta ſancta, quæ ineunte anno ſæculari ſacro (vulgo Iubilæi) aperiri à Pontificibus de more conſueuit.

IV. EC-

IV. ECCLESIA S. LAVRENTII EXTRA PORTAM ESQVILINAM.



PVLCHRA ÆDES, marmoreis nixa columnis XXXVI. Adhæret huic Monasterium, Canonicorum Regularium S. Augustini: Crypta hic, qualis ad S. Sebastianum, Martyrum ossa continens plurimorum; ex cæmiterio Cyriacæ matronæ; & reliquiæ hic B. Laurentij, lapis marmoreus, cancellis inclusus, cui jam assatus, de craticula impositus Martyr expirauit, Deoq; victor animam reddidit.

Tum-

Tumba hic ad dextram cum ſtatuis, agnum ad victimam ducentibus; Gulielmi Cardinalis S. Euſtathij, nepotis Innocentij Papæ IV. Alia quoque ſumma veneratione & religione culta SS. Martyrum memoriam ſeruantia monimenta atque veſtigia. Lapides ibidem aliquot, quibus B. Protomartyr Stephanus lapidatus, oſtendi, ipſiuſque B. Stephani corpus ibi requieſcere ſunt qui tradant.

V. ECCLE.

V. ECCLESIA S. MARIÆ MAIORIS IN ESQVILINO.



TEMPLVM augustum, inter cætera, operis musiui, longitudine pedum CCCXII. latitudine CXII. Pauimentum opere tessellato, atque emblemate vermiculato, laquearia item inaurata. Altaris mensa, & vrna Porphyretica, in qua conditus Ioan. Paulus Basilicæ Conditor. Hic præsepe Domini, antiquis litteris in crypta subterranea sacrificijs frequentatur piorum. Pius enim V. sacellum inchoârat

choârat, perfecitque Xiſtus V. opere egregio: grato animo res ab illo præclare pro domo Dei geſtas tabulis publicè teſtatus, ad poſterorum memoriam ſempiternam. Hic & ſepulchra D. Hieronymi, & imago vetus ſupra portam Cardinalis habitu. Monſtrantur & Alberti & Ioannis Normandi: recentiorum verò, Platinæ hiſtorici rerum à Pontificibus geſtarum, & Lucæ Gaurici Mathematici & Epiſcopi Ciuitatenſis, aliorumque illuſtrium; vt Franciſci Toleti Card. è Societate Ieſu. Picturæ hic perantiquæ ſupra columnas, quarum in Concilijs mentio aduerſus Iconomachos. Pro foribus, vt & ante B. Ioannis Lateranenſis ædem, Obeliſcus erectus à Xiſto V. incredibili ſumptu, cum notis Hieroglyphicis. Area hic ſeu labrum, quale ad Pantheon Iſidi olim ſacrum templum fuit. Oſtenditur ibidem imago B. Mariæ, quam S. Lucas depinxit: propè eſt S. Lucæ ſacellum, iuxta S. Potentianæ. In colle decliui fuit olim lucus Iunonis, priſca religione ſacer.

VI. ECCLE-

VI. ECCLSIA S. PAVLI IN VIA OSTIENSI.



AMPLVM ET PVLCHRVM TEMPLVM, à Constantino Magno ædificatum, longum passuum CXX. latum LXXXV. Fulcitur columnis marmoreis striatis XL. alijsque totidem rotundis, & paulo minoribus: vt sint in vniuersum CXIV. pauimentũ marmoreũ, multæque hic antiquæ Rom. inscriptiones, quas alij collectas edidere, altare summũ IV. colũnis porphyreticis marmoreis sustinetur

 vt

vt qþ Imago Saluatoris frequẽter ostẽditur, quæ S. Brigittæ oranti locuta, vt inscriptio & appensa tabula testatur. Duo Marmora, in quibus Euangelium & Epistola in sacræ Liturgiæ officio recitatur. In fornice miraberis opere musiuo egregiè expressum Saluatorem, SS. Petrum & Paulum, & Andream, cum dictis cuiusque, mortisque Christi insignibus & instrumentis. Instaurauit nuper egregiè Clemens VIII. Pont. verè optimus. In portis æneis sacræ historiæ variæ, Græcè & Latinè expositæ: testaturque titulus Alexandro IV. Pont. Max. à Pantaleone Cos. fieri iussas. Sepulchra hic Pontificum legas, Ioannis, qui obijt anno M. CCCC. XXII. Benedicti IX. aliorumque, vt Petri Leonis, versibus echionijs, vt illis temporibus, sub Leone II. conditum Epitaphium; quique portam aperuerunt annis secularibus sacris, Iulius III. & Gregorius XIII. referuntur. Curatur hodie (quod locus ob cæli inclementiam desertus sit) à Cistertiensibus Monachis, qui in Quirinali habitant.

S. Pauli sacellum visitur, ab Alexandro Farnesio Card. Anno M. D. LXXXII. ex parte instauratum. In sacrario reliquiæ sanctorum sunt: columna in qua S. Paulus capite truncatus: Equuleus, qui Martyrum appendi pedibus lapis solebat. In delubro portæ Cœli, Martyrum 2203. Sub Nerone, reliquiæ sunt. Ad tres fontes quia locus Martyrij S. Pauli fuit, preces religiosè funduntur.

ECCLE-



FABRICA Templi S. Petri, sumptu, magnificentia, marmoribus, & opere superat omnia orbis terræ Templa: præsertim noua structura, cui tholum nuper Xistus V. P M. imposuit magnificentissimũ, & sacellũ inauratũ Gregorius XIII. B. Gregorio Nazianceno consecrauit. Vincit haud dubiè Ephesinum illud, vnum in septem orbis miraculis, ab Erostrato incensum, vt hoc flagitio nomen

ad posteros, obscurum alioqui transmitteret. Vetus Templum fulciunt XXIV. Columnæ. Harum marmor admirandis coloribus variegatum est. Nihil vsquam gentium spectatur elegantius, ne quidem Venetijs in æde S. Marci, incrustata tamen egregiè marmoribus è media Græcia allatis. Allatæ sunt hæ è proxima Hadriani Imp. mole: quo Principe, nemo ingenio, nemo industria magis valuit, animiq; dotibus. Columnæ ad S. Eucharistiæ sacellum, tortiles & foliatis gyris cinctæ; & illæ quæ sudarium Veronicæ, vulgò volto santo, sustinent & quinq; in sacello sacro, vna item in medio fabricæ nouæ: Hierosolymis à Tito Vespasiano aduectæ putantur è templo ac palatio Salomonis, deuictis Iudæis, Vrbeq; funditus euersa, indeq; in Italiam translatas ferunt, & illas columnas, quæ Venetijs in chori superioris parte extrema visuntur, ex alabastro diaphano factæ. In templi area, quæ paradisus nominatur, ingens nux est pinea, & duo ærei pauones, translati è mole seu pyramide Scipionis Africani, quæ olim in valle Vaticana fuisse dicitur. Ad parietem opus est tessellatũ, singulari artificio à Romanis laudatũ. Sed vincit opus hoc musiuũ, templũ S. Marci Venetijs: incrustatio Græcanici operis, cum veteris, tum recentis, egregiè vermiculata, vel inuidia iudice. Ibidẽ marmoreũ sepulchrũ è lapide porphyretico, Othonis II. Rom. Imp. nusquã in Italia maior porphyrus spectatur, excepto tecto S. Mariæ rotundæ Rauennæ, quod olim monumentũ fuit Theodorici regis Ostrogothorũ. Igitur veterẽ hanc Basilicã XXIV. columnis nixã Constantinus magnus Imp. exædicauit: nouam longè augustiùs. Iulius II. P.M. Anno M. D. VII. à fundamento præsentibus XXXV. Card. iacto lapide excitauit, Michael, Angel. Bonarot. Florent. architecturæ auctor. Gregorius XIII. sacellũ B. Gregorio Nazianzeno inauratũ dedicauit. Xistus V. tholum sum̃a celeritate imposuit, portã æneã, cum Christi & B. Virginis imagine; S. Pauli, item & Petri, Eugenij IV. auspicijs Antonius Florent. fecit Hebdomadæ maiore Christi facies linteo Veronicæ impressã quotannis ostenditur. Iuxta est B. Virginis marmorea imago, Christum mortuũ sinu tenentis: opus Michaelis Angeli, vt & Iudicium orbis vniuersi, supra in sacello Pontificis Petri nauicula opere musiuo intrantibus occurrit orientẽ solem spectantibus. Pineæ æneæ in medio areæ: è Scipionis esse sepulchro fabulantur. Hic & Othonis Imp. porphireticum sepulchrum Anno 985. conditi.

PRO-



QVæ supra dicere me memini, cum de VII. Ecclesijs, quæ maximè indies religionis ergo frequentantur, agerem, deque Romæ mirandis non opus est est hic referre. Hoc in primis notandum

notandum, quod ante Carcerem S. Petri, versus dextram, conclusa est porta, sancta vocata, quæ elapso spatio viginti quinque annorum, à Pontifice Max. aureo malleo aperitur, Cardinalibus idem facientibus: aliquot millia hominum peregrinationes ad videnda hæc suscipiunt, & fragmenta sacræ istius portæ religiosè colligunt, multis admissorum condonationibus à P. M. largè attributis. Cæterùm duas portas ex ære caldario factas, & ab Hierosolymis eò delatas videre licet, intra quas tres muscæ indicij loco conspiciuntur: in introitu versus sinistram extat altare, super quo summis diebus festis, caput S. Andreæ Apostoli populo demonstratur. E regione, versus dextram Ara est, vbi lancea apparet, qua Christi sanctum latus ad apertum est, & spongia, in qua Christo Domino fel & acetum porrigebatur, item sudarium S. Veronicæ populo demonstratur. Porrò in medio templi versus sinistram extructum altare, sanctum sanctorum appellatum; hic quoties Papa è palatio suo in sacellum Paulinum deportatur, quoniam D. Petri & Pauli corpora illic sepulta iacent, toties ante aram plerunque subsistit, & preces religiosè ad quadrantem horæ exequitur. Ad dextram verò noui ædificij egregia extat Capella, Gregoriana nuncupata, quam Papa Gregorius XIII. paulò ante obitum suum construi mandauit, multis myriadibus auri insumptis, in ea quiescit corpus sancti Gregorij primi, quẽ Papa Gregorius XIII. in magna processione ex quodam templo huc transportari, suumque Corpus iuxta præfatum Gregorium humari iusserat. Ante prædictam capellam columna extat erecta, ferreis clatris circundata; vbi multa fiunt miracula. Nam ferunt quoties Christus in templo conciones habuerit, toties eum Hierosolymis columnis istis innixum esse. Atque hactenus de VII. primarijs hisce Ecclesijs: nunc ad alia aliquot vrbis templa progrediamur.

ECCLE-



ECCLESIA B. MARIÆ ANNVNCIATÆ est propè Collegium Patrum Societatis Iesu, distat ab vrbe tribus ferè miliaribus, fuit à venerabilibus Ioanne Episcopo Anagnino, & Ioanne Episcopo Sabinensi dedicata in honorem & gloriam beatissimæ Virginis annunciatæ.



ECCLESIA B. MARIÆ DE POPVLO. Sita est sub colle hortulorum ad portam Flumentanã. Et hic Obeliscus erectus à Xisto V. P. M. Soli quoque ab Aug. in circo maximo dicatus, è ruinis erutus, Crucique à Xisto dedicatus, non sol., anno Pontif. III. Christi 1589. translatusque incredibili sumptu ad portam Flaminiam ante portam B. Virginis populi, Ibi est cœnobium Augustinianorũ Sodalium

Sodalium, quam Ædem frequentant religionis gratia, qui ad S. Sebaſtianum extra muros lõ giùs poſitum ire æſtu Solis detrectant. Hic multorum Cardinalium ſepulchra, extructaque Sacella pietatis ergò. Tumulus quoque Hermolai Barbari Patriarchæ Aquileienſis, hocce addito Elogio:

Barbariem Hermoleos Latio qui depulit omnem,
BARBARVS hic ſitus eſt, vtraq; Lingua gemit.
Vrbs Venetûm Vitam, mortem dedit inclyta Roma:
Non potuit naſci clarius, atque mori.

Obijt Anno CIↃ. CCCC. XCIV. Maij XXI. Vixit annos XLI.
Ibidem humi cuiuſdam fêlis morſu mortui diſtichon:

Hoſpes, diſce nouum mortis genus, imprôbâ feles
Dum trahitur digitum mordet, & intereô.

ECCLESIA SS. VINCENTII ET ANASTASII.




TEMPLVM SS. VINCENTII & ANASTASII, trium fontium nuncupata, ad aquas Saluias, Viâ Ardeatinâ, ædificata est ab Honorio Papa, & ab alio Honorio pontifice conseruata Anno Domini M. CC. XXI. Aliud vltra sacellum antiquum vulgò Trefontane occurrit, per pontem ad læuam relicta via ostiensi ad Tyberim. In porticu porphyreticæ sunt columnæ, rubri ac cinericij coloris.

Trium

Trium fontium ſcaturigines intus viſuntur, quarum aquæ ſacræ habentur, morbosque depellere creduntur. Hic enim S. Paulum ſub Nerone Capite truncatum tradunt.

TEMPLVM S. MARIÆ ROTVNDÆ NVNCVPATVM.




NVNC S. Mariæ Rotundæ, & omnium Sanctorum. Aliquando Cybeli ſacrum: Cuius Deæ caput antiqui operis & ſaxi, cum duobus piſcibus muro templi incluſum adhuc cernitur, à M. Agrippa Pantheum, quaſi τῶν πάντων Θεῶν dictum; & tandem Marti & Veneri, qui auctores populi Rom. habiti ſunt, vt Liuius & Lucretius ſcribunt, conſecratum. Hoc Bonifacius III. pontifex, à Phoca Imp

qui

qui rem pontificiam auxit atque extulit, acceptum, beatæ Virgini & Sanctis omnibus dicauitq; fuitque primum dictum, Virgo ad Martyres: sicuti à circulari forma, S. Maria Rotunda. Altum est pedes CXLII. totidem latum. Contignationes æneis trabibus canalium modo compactæ, ped. XL. vt testatur Bap. Leo. Valuæ ingentes ex ære Corinthio, inauratæ & æneæ: trabes item inauratæ, lithostrotum varij marmoris, aræ duæ marmoreæ, seu mamoratæ. Interstitia, sex columnarum spatio distantia. Testudo templi laqueata, vacuis circumquaque spacijs relictis, ne nimium pondere ædificium premeretur. Nulla fenestra penitus inest, nisi in medio sphæricum foramen lumen præbens, & æneis inauratisque trabibus fultum: cui subiectum ad imbres excipiendos impluuium. Ad foramen illud per tectum plumbeum exterius XL. gradibus plumbeis ascenditur: ad quod tectum, antequam perueniatur, bini ambitus sunt, ad quorum primum ex imo templi per CL. gradus est eundum. Allusit ad hoc in Didonis structura Virg. Ænea cui gradibus surgebant limina, nexæque, Ære trabes, foribus cardo stridebat ahenis. Marcellinus lib. 16. pantheum, regionem teretem, speciosa celsitudine fornicatam, nominat. In tecto nunc sunt plumbeæ laminæ, quæ olim argenteæ fuerunt, quas Constant. Imperat. Constantini iunioris filius detraxit. Gradus quoque ænei sublati, & saxeis permutati sunt. Ascensum ad templum fuit per gradus duodecim, nunc per totidem descenditur: ex quo intelligitur, vt & anteà dicebamus, quam altè ex ruinis solum exaggeratum sit. Parietes nunc lateritij sunt, olim marmoribus incrustati fuerunt. Inter omnia igitur vrbis opera, nullum admirabilius, siue molem, siue artem, siue impensam consideres.

CASTEL-

CASTELLVM S. ANGELI.



CASTELLVM S. ANGELI appellatur ab angelo, vt fama est, vrbem gladio propugnan-te. Spectaturque in apice, Angeli Statua: auxit firmauitque egregiè Alexander vi. Bor-gia-

gia, vt inscriptio ad pontem testatur: opus amplum, solidum & lateritium, sed nunc gradibus pertusum, vt commodè habitetur, machinisque resistere queat, præsidiumque sit summorum pontificum: qui eò se per porticus ac meatus, Vulgò Curritoria nominant (vt obsessi ab hoste tuti sint) secretò conferre possunt: Dicta est etiam Arx Crescentij, à Crescentio quodam factioso duce ex oppido Nomento, qui illam in potestatem suam cùm redegisset, diû tenuit: donec Theutonicorum fidei, qui illam oppugnabant se committens, ab illis est trucidatus. Describitur à Procopio hoc modo: Hadriani quondam Imperat. sepulchrum, extra portam Aureliam, siue vt nobis placet, Æliam, iactu lapidis impositum. primus eius ambitus, quadrati figuram habet. Constat enim totus ex marmore Pario, summa artificum diligentia ædificatus; in medio verò huius Quadrati rotunda moles assurgit, excelsa altitudine, & tanta, vt in suprema eius parte area sit, cuius diameter vix iactu lapidis transigitur. Quam molem Bellisarius occupans, pro arce & præsidio contra Gothos vsus est. Erant olim in summa parte, vndique magnæ statuæ hominum, equorum, quadrigarum, miro artificio elaboratæ, has partim integras milites demoliti, partim confractas in hostes deiecerunt. Visuntur adhuc in hoc monumento boum capita, & quædam alia insculpta. Prata autem Quinti, à Quintio, Cacinnato denominata in Campo Vaticano fuisse, Plinius sic commemorat. Aranti quatuor sua jugera in Vaticano quæ prata Quintia appellantur, Viator attulit Dictaturam. Locus enim nunc in pratis vulgò dicitur. Theatrum in pratis Vaticanis, inter pontem Miluium, & molem Hadriani ponit Fuluius, autore Procopio ad ludos gladiatorios ædificatum, à quo autem, non meminit. Extant, inquit hodiè, vt credunt, Vestigia quædam Vinea Ioh. Albeuini patricij Rom. At circum magis eum fuisse crediderimus, vt forma adhuc præ se fert, nisi perperam interpres locum verterit; nam in Theatris ludi scenici fiebant in circis verò equorum cursus agebantur.



SI quis CAPITOLII pulchritudinem, & diuitias, & ornamenta oratione celebrare, proque illorum admirabili & penè incredibili amplitudine, verbis illustrare conetur, nullam profectò


fectò inueniet tantam dicendi elegantiam, aut copiam, quin verborum exilitate deprimat, quæ sese extollere posse confidebat, cui Cic. nullum inueniens epitheton magis conueniens, Deorum & Iouis terrestre domicilium appellauit. Quare in huius laudem ero contentus referre ea tantum, quæ memoriæ traduntur à Marcellino, qui loquens de Constantio, Constantini filio tunc primùm Romam veniente, sic loquitur: Deinde extra septem montium culmina per accliuitates, planitiemque posita Vrbis membra collustrans & suburbana, quidquid erat primum; eminere inter alia cuncta spectabat, Iouis Tarpeij delubra, quantum terrenis diuina præcellunt, &c.

Fuerunt à priscis temporibus marmoreæ, argenteæ, aureæque statuæ innumerabiles in Capitolio, non solùm viris præstantissimis, qui de Repub. benè meriti essent, erectæ, verumetiã Dijs immortalibus varijs ex causis consecratæ; ex quibus varia etiam sortita sunt cognomina. Flor. enim scribit, quo tempore Pyrrhus in Siciliã traiecit, Iouis statuam in Capitolio fulmine deiectã. Videamus autẽ quæ nunc eo sitæ sunt statuæ: in atrio videbis duos egregios in equos marmoreos, superius iterum equum æneum auro incrustatum, cui insidet Cæsar Hadrianus, è regione illius reperies caput humi recubans valdè perspectiuum, spectans ad caput Capitolij olim, quia statua ornamenti loco erecta sic erat, at iam collapsa; sed iterum, vt fama est, erigetur, & in pristinum locum collocabitur. Intra limen à dextris signum æreum auro perfusum nudi Herculis, & adhuc imberbis, dextra clauam, sinistra verò Hesperidum aurea mala tenens, conspicitur, quod propè scholam Græcam in ruinis aræ Maximæ, foroque Boario repertum esse scimus. Visuntur marmorea signa parietibus inclusa, L. Veri Antonini de triumpho Parthico: siue M. Antonini de triumpho Dacico; sublata ex æde S. Martinæ. In aula verò superiori, statua Satyri pulcherrima, & quædam alia Deorum simulacra sunt sita.



SEQVITVR pons nunc S. ANGELI, olim ÆLIVS, ab ÆLIO denominatus Hadriano, qui cum iuxta ſui ſepulchri molem excitauit: Spartianus, Fecit, inquit, & ſui nominis pontem

piusq; instauratum, nihil ex veteri structura, præter fundamenta retinere. De quo meminit Plinius de Viris illustribus, & Ammianus Marcellinus, atq; à M. Scauro (qui fuit tempore Syllæ) in censura extructum: ad quem Pontem Neronem ventitasse constat. In eodem legati Allobrogum nocturno tempore cum litteris ad Catilinam deprehensi sunt, ex quibus coniurationem patefactam esse scribit Cicero. Apud eundem pontem Constantinus Mag. Imperator Maxentium Tyrannum Maximiniani Filium magicis artibus deditum, militari Stratagemate, materia, ac nauibus supra Tyberim dispositis, cum aliquot certasset prælijs, conspecto demùm in æthere crucis vexillo, clamantisq; voce audita ἐν τούτῳ νίκα Id est, in hoc victoria: tandem Victor fuit, quæ Victoria extat in eius triumphali arcu sculpta, & in aureis numismatibus Constantini sæpenumerò.



F PONS ÆMI-

PONS ÆMILIVS SVBLICIVS DICTVS.



SVBLICIVS Pons seu Æmilius dictus est ab Æmilio Lepido prætore, qui hunc pontem fecerat: Ex quo Heliogabalus Imp. monstrum hominis, in Tiberim saxo ad collum alligato præcipitatu.

præcipitatus eſt. Sublicius autem appellatus, quia ilex ſpecies eſt quercus, ex quo confici ſolebat, vel, vt alij, ſublicibus lignis. Lingua enim Volſca magnæ trabes ſublices vocantur. Olim marmoreus dictus, poſt bellis ciuilibus fractus, Pons tortus, vocatus. Nam à Xiſto. III. P. M. in eam inſtauratus magnificentiam, Pons Xiſti nominatur. Hic ſine ferro, clauo, ſine fulturis ita diſpoſitus erat contignatione, vt trabes per bella eximerentur, ac reponerentur, quod quidem ſic facere religioſum fuerat, poſtquam Coclite defendente ægrè reuulſus eſt, authore Plinio. Hunc Tiberinis fluctibus læſum reſtituit Tiberius. Corn. Tacitus refert, Othone imperante ſubitò inundatione fuiſse perruptum, quem longo tempore pòſt Antonium Pium reſtituiſse, author eſt Iulius Capitolinus. Quidam marmoreum poſuiſſe dicunt & in hunc vſq; diem pontem marmoratum appellari Huius enim Veſtigia in medio alueo ipſius fluminis parùm ſupra Naualia, adhuc cernuntur. Et quanquam de loco varia traduntur: conſtat tamen ad Auentini montis radices.

PONS FABRICIVS ET CESTIVS, NVNC QVATVOR CAPITVM



QVATVOR capitum PONS dicitur à quatuor marmoreis ſimulacris quadriſrontibus in aditu pontis collocatis. Qui verò eandem Inſulam tranſtyberinæ regioni connectit, Exquilinus,

quilinus, siue Cestius olim, nunc verò Pons S. Bartholomęi, à propinquo huius Diui templo, nuncupatur, quem Valentinianũ & Valentem instaurasse à dextris & sinistris, in tabulis marmoreis ibi collocatis hæ inscriptiones testantur:

DOMINI NOSTRI IMPERATORES CÆSARES FL. VALENTINIANVS. PIVS FELIX. MAX. VICTOR AC TRIVMF. SEMPER AVG. PONTIF. MAXIMVS GERMANIC. MAX. ALAMANN. MAX. FRAN. MAx. GOTH. MAX. TRIB. POT. VII. IMP. VI. COS. II. P.P.P. II. &c.

FL: VALENS PIVS FELIX NAX. VICTOR AC TRIVMF. SEMPER AVG. PONTIF. MAX. GERMANIC. MAX. ALAMANN. MAX. FRANC. MAX. GOTHIC. MAX. TRIB. POT. VI. IMP. VI. COS. II. P.P.P. &c.

FL. GRATIANVS PIVS FELIX MAX. VICTOR AC TRIVMF. SEMPER AVG. PONTIF. MAX. GERMANIC. MAX. ALAMAN. FRANC. MAX. GOTHIC. MA. TRIB. POT. III. IMP. II. COS. PRIMVM P.P.P.

PONTEM FELICIS NOMINIS GRATIANI IN VSVM SENATVS AC POPVLI ROM. CONSTITVI DEDICARIQVE IVSSERVNT.

Longitudinem autem passuum nostratium LX. habere dicitur.

PONS FABRICIVS ET CESTIVS, NVNC QVATVOR CAPITVM, EX ALTERA PARTE VISENDVS.



POST Aurelium pontem ad stadium, è regione theatri Marcelli, surgit in medijs Tyberinis fluctibus insula, quam vrbi coniungit pons prius Tarpeius à Tarpeia rupe propinqua: deindè

Inde Fabricius à L. Fabricio, qui eum faciendum curauit, denominatus, vt testatur index in arcu pontis insculptus huiusmodi:

L. FABRICIVS. C. F. CVR. VIAR. FACIENDVM CVRAVIT. IDEMQVE PROBAVIT.
Q. LEPIDVS. M. F. M. LOLLIVS. M. F. COS. S. C. PROBAVERVNT.

Nunc dicitur pons quatuor capitum, à quatuor marmoreis simulacris quadrifrontibus in aditu pontis collocatis. Qui verò eandem Insulam Transtyberinæ regioni connectit, Exquilinus, siue Cestius olim, nunc verò pons sancti Bartholomæi, à propinquo huius Diui templo, nuncupatur, quem Valentinianum, & Valentem instaurasse à dextris & sinistris in tabulis marmoreis ibi collocatis hæ inscriptiones testantur.

DOMINI NOSTRI IMPERATORES CÆSARES FL. VALENTINIANVS PIVS. FELIX MAX. VICTOR AC TRIVMF. SEMPER AVG. PONTIF. MAXIMVS GERMANIC. MAX. ALAMAN. MAX. FRANC. MAX. GOTH. MAX. TRIB. POT. VII. IMP. VI. COS. II. P. P. P. II. &c.

FL. VALENS PIVS FELIX MAX. VICTOR AC TRIVMF. SEMPER AVG. PONTIF. MAX. FRANC. MAX. GOTHIC. MAX. TRIB. POT. VII. IMP. VI. COS. II. P. P. P. &c.

FL. GRATIANVS PIVS FELIX MAX. VICTOR AC TRIVMF. SEMPER AVG. PONTIF. MAX. GERMANIC. MAX. ALAMAN. FRANC. MAX. GOTHIC. MAX. TRIB. POT. III. IMP. II. COS. PRIMVM P. P. P. &c.

Longitudinem autem passuum nostratium LX. habere dicitur, superior verò LXX.

OBELIS-



IN platea media quæ latiſſimè expanditur ante pontificias ædes & S. Petri delubrum, obeliſcus ille integer ex lapide Ophite erectus eſt, cuius altitudo eſt pedum 170. præter baſin; quæ

continet

continet 37. Obeliſcus in inferiore parte latus eſt pedes 12. In ſuperiore verò octo. Fuerat ante paucos annos erectus ad ſiniſtrum Templi Vaticani latus, in Circo Neronis: ſed Sixti V. P. M. auſpicijs ſumptuq́, inde tranſlatus eſt in mediam plateam loco celebriori, operâ Dominici Fontanæ Architecti Comenſis, quod contigit Anno 1586. neſcio an in hoc magis admirari debeamus audaciam Architecti, quam artis efficaciam; qua potuit ſaxum tanti ponderis ſuo loco mouere, & alio transferre ſine ruptione, ſolus enim Obeliſcus præter baſim ſuperat pondus 156148. librarum: vectes, repagula, cingula, & harpagines ferreas, quibus oportuit tantam molem lapideam cingi, vt poſſet facilius comprehendi, & alio moueri: Quæ inſtrumenta omnia decies centena millia, quadraginta duo millia: octingentas & vigint quatuor libras æquabant. Res noſtro ſeculo ſtupenda, & cum antiquis comparanda niſi, vt fit, & præſentia faſtidimus, & aliena plus æquo miramur. Circus & Naumachia Neronis non procul hinc, in quibus & ludi nauales exhibebantur, & Martyres crudeli ſupplicio, Chriſtum profeſſi, feris obijciebantur, ſed vicit piſcatorum conſtantia, vt victa idololatria templum ibidem Deo Opt. Max. poſt ſit conditum longè auguſtiſſimum. Tiberius cæſar ex Ægypto curauit aduehi Romã obeliſcum illum Vaticanum, qui hodiè vnicus erectus eſt & integer: in cuius ſummitate, globo deaurato, Iulij Cæſaris cineres repoſiti ſunt:

Hinc quidam poeta de hoc Obeliſco Circi Vaticani à Sixto V.
Pont. Max. erecto ac conſecrato, hexaſtichon cecinit:

Hanc Sixtus molem tenebroſa in parte latentem
Ad Vaticani limina ſacra locat.
Magnum opus, & ſeclis vllis non hactenus auſum,
Et cui det plauſus inuidia poſteritas.
Non tamen hoc tantum mirabere, quam quod in alto
Vertice fixa vides clara trophæa Crucis.



OBELISCVS S. IOANN. LATERANENSIS.



ANNO M.D.LXXXVII. Sixti. V. Pont. Max. juſſu (poſtquam è priori ſede Obeliſcum Vaticanum auulſerat, ac in foro Principibus Apoſtolorum dicato non minori ſumptu, quam

quam ingenio locauerat) eruti sunt è Circi maximi caue percelebres duo obelisci miræ magnitudinis, pene confracti, quorum maior, Constantij nempe Augusti, vt inscriptio carminibus in eius cippo insculptis testatur, pedum verò 112. longitudinis, in Lateranense forum, ingenti Pontificis sumptu, ingenio ductuque Dominici Fontanæ Architecti, è pago Mili, agri Nouocomensis translatus & erectus, ac sanctissimæ Cruci Saluatoris nostri ad perpetuam rei memoriam dicatus est. Alter verò minor, Augusti Cæsaris, vt inscriptio in illius basi docet, longitudinis pedum LXXXII. Soli ab eodem Augusto dicatus, ante Basilicam sanctæ Crucis (quæ dicitur in Hierusalem) in agro Sessoriano, eidemq; sacratissimæ Cruci eodem Pontifice iubente ipsoque Architecto vehente erectus & sacratus est:

In base verò seu cippo obelisci Augusti Cæsaris: qui ex eodem circo paulo post, eodem anno, erutus, quiá; multò minor Constantino est, tales incisæ sunt litteræ:

IMP. CÆSAR DIVI F.
AVGVSTVS
PONTIFEX MAXIMVS
IMP. XII. COS. XI. TRIB. POT. XIV.
ÆGYPTO IN POTESTATEM
POPVLI ROMANI REDACTA
SOLI DONVM DEDIT.

OBELISCVS SANCTÆ MARIÆ MAIORIS IN EXQVILIIS.



OBELISCVS qui ætate nostra hoc Anno M. D. LXXXVII. erectus est à Sixto V. Pont. Max. ante Basilicam S. Mariæ maioris in Exquilijs, diu jacuit ante fores Ecclesiæ sancti Rochi,

Rochi; Vnus enim est è duobus qui erecti erant in Mausoleo Augusti prope eandem Ecclesiá, multaq; erat fractus in partes, cui superimpositum est sacrosanctæ Crucis signum, vnà cum stigmatibus, seu insignijs ipsius Pontificis, tribus nempè montibus & stella, ac è conspectu Viæ Felicis ab ipso summo Pontifice apertę, & stratæ cernitur, cuiq; quaterna latera talibus sunt ad memoriam, & perpetuum monumentum inscriptionibus obsignata, videlicet.

In eo latere quod Orientem, seu Ecclesiam ipsam spectat, sic habet:

CHRISTVS PER INVICTAM CRVCEM POPVLO PACEM PRÆBEAT QVI AVGVSTI PACE IN PRÆSEPE NASCI VOLVIT,

In eo verò qui Meridiem Carinas versus.

SIXTVS V. PONT. MAX. OBELISCVM ÆGYPTO ADVECTVM AVGVSTO IN EIVS MAVSOLEO DICATVM, EVERSVM DEINDE AC IN PLVRES CONFRACTVM PARTES IN VIA AD S. ROCHVM IACENTEM IN PRISTINAM FACIEM RESTITVTVM SALVTIFERÆ CRVCI FELICIVS HIC ERIGI IVSSIT ANNO DOMINI M.D.LXXXVII. PONT. III.

In latere Occidentis, viam Felicem versus, hæc leguntur.

CHRISTVM DOMINVM QVEM AVGVSTVS DE VIRGINE NASCITVRVM VIVENS ADORAVIT, SEQ. DEINCEPS DOMINVM DICI VETVIT ADORO.

Ea verò quæ septentrionalem plagam, ac aggerem Tarquinij, & Suburbanum ingens ipsius pontificis spectant, hæc sunt, in personam ipsius obelisci.

CHRISTI DEI IN ÆTERNVM VIVENTIS CVNABVLA LÆTISSIME COLO, QVI MORTVI SEPVLCHRO AVGVSTI TRISTIS SERVIEBAM.

OBELISCVS SANCTÆ MARIÆ POPVLI.



OBELISCVS è regione ædis B. Mariæ populi, portæq; Flaminiæ spectatur, notis & litteris Hieroglyphicis illustris, olim medio in campo Martio erectus stabat, posteà prope templũ S. Lauren-

S. Laurentij in Lucina iacuit in cellis vinariis. Hunc Augustus Cæsar ex Hierapoli transferri Romam iussit, cum alijs duobus, quos in Circo Maximo statuit: Plinius altum scribit CX. ped. & à Marfodite sculptum, in eoq; Philosophiæ Ægyptiorum interpretationem contineri Basi inscriptum legitur, quod & Iosephus Castalio I. C. Commentario Romæ explanauit:

CÆSAR DIVI F. AVG. PONT. MAX. IMP. XII. COS. XI. TRIB. POT. XIV. ÆGYPTO IN POTESTATEM P. R. REDACTA, SOLI DONVM DEDIT.

Inscriptio alia.

SIXTVS V. PONT. MAX. VIAS VTRASQ; ET AD S. MARIAM MAIOREM, S. MARIAM ANGELORVM AD POPVLI COMMODITATEM ET DEVOTIONEM LONGAS LATASQVE SVA IMPENSA STRAVIT ANNO DOMINI. M. D. LXXXV. PONTIFICATVS. I.

OBELIS-

OBELISCVS S. MAVTI SEV MAGVTI.



SI figuram hanc rite recteq; consideremus, neutiquam prorsus aliud innuere videbitur, quam modo antecedens schema. Quid autem sit Obeliscus, & cuius rei causa inuentus, libuit quædam

dam à Marcellino tradita præmittere: eius verba sunt hæc: **In hac autem Vrbe inter labra ingentia**, diuersasque moles figmenta Ægyptiorum numinum exprimentes Obeliscos videmus plures, aliosque iacentes, & comminutos, quos antiqui reges bello domitis gentibus, aut prosperitatibus summarum rerum elati montium venis, vel apud extremos orbis incolas perscrutantes excisos, erectos Dijs superis in religione dicârunt. Sequitur quid sit: est, inquit, Obeliscus asperrimus lapis in figuram metæ cuiusdam sensim ad proceritatem consurgens excelsam, vtque radium imitetur gracilescens paulatim, specie quadrata, in verticem productus angustum, manu leuigatus artificis. In plerisque visuntur Literæ Hieroglyphicæ insculptæ. Talis quoque Obeliscus exiguus apparet iuxta societatis Iesu collegium, è regione Templi S. Maguti seu Mauti, quod quidam S. Bartholomæi esse dicunt. Primus omnium rex Methres obeliscum instituit. Obeliscos autem qui Romæ sunt, nulla ciuium operâ aut curâ excisos constat: Sed Thebis ex Ægyptiacisue Vrbibus perductos, vt idem Marcellinus & Plinius testantur. Is qui in schemate præsenti apponitur, Romæ positus, proceritate in excelsum adeò assurgit, vt suspicientium radij visiui apicem eius nunquam assequi valeant, cœlo quantumuis maximè sereno.

COLVMNA TRAIANI



EX columnis, duæ miræ magnitudinis, ſub tellure adhuc iacent propè Eccleſiam S. Mariæ cognomento Loreti. Forum autem exornauit etiam arcus Triumphalis eiuſdem principis, de quo

de quo Dion, ſic loquitur: Triumphalis tunc arcus, præter alia multa, quæ in honorem eius & decreta & facta fuerant, in illius foro ſubſtructus eſt. Traianus quidem inibi palatium etiam varijs marmoribus, intus verò picturis, ſtatuiſque exornatum habuiſſe dicitur. Vopiſcus verò ſcribit: Aurelianum Imp. iuſſiſſe tabulas publicas ad priuatorum ſecuritatem in Traiani foro exuri, in cuius medio ſtat adhuc Cochlidis eius Columna, in qua circumquaq; rerum geſtarum ſimulacra ipſius mira arte cælata viſuntur: & in primis Dacicum bellum. Intus verò gradus centum octoginta quinque in eius faſtigium præbent aſcenſum: habet autem feneſtellas quadraginta quinque, altitudinem verò pedum centum viginti octo, vel, vt ſcribit Eutropius, centum quadraginta: in ſummo Traiani oſſa, aurea pila condita fuére: quanquam Dion ait, Hadrianum in columna oſſa Traiani condidiſſe, cuius ſunt hæc verba: Ingentem columnam in foro ſtatuit, ſiue vt ea pro ſepulchro eſſet, ſiue in oſtentationem eius operis, quod ille circa Forum egit. Cliuus ſurgebat, quem effoſſa quoquo verſus terra ita complanauit, vt vndique columna conſpiceretur, forumque deinde in areæ modum æquatum manſit. Hanc autem columnam Traiano bellum gerenti apud Parthos ſenatum dedicauiſſe, ipſumq; principem eam non vidiſſe ferunt. Nam è Perſis rediens apud Seleuciam Syriæ Vrbem fluxu ſanguinis deceſſit. Hunc verò ſolum omnium Imperatorum in Vrbe ſepultum eſſe tradit Eutropius. Quod autem in columna, ratio eſt, quia apud maiores, Principes, nobileſque ſub montibus ſepeliebantur. Hinc Virgilius:

Monte ſub aërio, qui nunc Miſenus ab illo Dicitur.

Et cum in omnibus locis, vbi erant ſepulchra excitanda, non eſſent montes, natum eſt; vt ſuper Cadauera, aut pyramides fierent, aut ingentes collocarentur columnæ, quæ licet propriè ſint, quæ culmen ſuſtinent: tamen, & ad magnificentiam erectæ, hoc nomine appellantur, qualis hæc, in cuius baſi talia leguntur.

S. P. Q. R. IMP. CÆSARI DIVI NERVÆ NERVÆ F. TRAIANO AVG. GERM. DACICO. PONTIF. MAXIMO. TRIB. POT. XVII. IMP. VI. COS. VI. P. P. AD DECLARANDVM QVANTÆ ALTITVDINIS MONS ET LOCVS TANTIS OPERIBVS SIT EGESTVS.

COLVMNA ANTONINI PII.



EXtat hodie inter sciarræ, Pantheonisq; plateas, iuxta ædem S. Stephani de Truglio, porticus, cuius principium & finis licet non appareat, columnæ tamen marmoreæ ingentes, numero

mero vndecim, quæ superſunt, ita diſpoſitæ cernuntur, vt ſtadiatam porticum Antonini Pij Imp. fuiſſe multi arbitrentur, quo in loco Templum etiam habuiſſe dicitur, argumento, quod literæ cubitales, in marmore ibi inuento inciſæ, huius templi memoriam continerent. Sunt tamen qui Martis te[illegible]lum ibidem fuiſſe contendant. Hinc enim ipſius Antonini Cochlidis columnam parum diſtare videmus, quam inſtar Traiani ipſe ſibi erexit; altitudinis pedum CLXXVI. cum interiore cochleâ & gradibus CVI. ac feneſtellis LVI. incendio parum deformatam. Circumquaq; res ab eo geſtæ inciſæ nunc ſpectantur. In vertice verò eius olim ſimulacrum nudum, quale in ipſius numiſmatibus cernere licet. Columnam Sextus Ruffus in ara Flaminij eſſe ſcribit: inter quam, & porticum Imperator ipſe palatium habuit, ex cuius ruinis locus paulò eminentior factus videtur. Inter ipſam autem columnam, & aquam Virginem Septa fuère. Erant enim Septa loca tabulis incluſa, & vallata, in quibus pop. Rom. ſuffragia laturus claudebatur. Martialis:

In Septis Mamurra diu, multumq; rogatus.

Ouilia etiam ſumpta ſimilitudine ab ouium ſeptis, ſunt appellata; licet Blondus velit, Ouilia fuiſſe minoris ambitus loca, in quibus centuriæ à tota tribu ſeparatæ de agendis, priuſquam citarentur, conſultabant; de ijs Lucanus:

Et miſeræ maculauit Ouilia Romæ.

Hæc iuxta viam fornicatam, Flaminiamq; à Liuio ponuntur. Notanda & hoc in loco Fuluij contrarietas. Lucanus inquit, non de ſeptis, vt creditur, ſed de villa publica intellexit, vbi IX. deditorum millia cæſa dicuntur, authore Sylla. Demus autem, in villa publica iſtos cæſos fuiſſe, nunquid ipſam villam Ouilia appellauit Lucanus? certè non, ſed ideò Ouilia maculaſſe ait Syllam, quia ex ea nonnulli fugientes in Ouilibus ſunt interfecti. niſi dicemus ratione vicinitatis locum pro loco poſuiſſe. Cui opinioni verba ipſius Fuluij apertè repugnant, quæ ſunt: ſatis conſtat ſepta fuiſſe in eo ambitu, vbi nunc columna Cochlis Antonini Pij.

DE FORO ROMANO, COMITIO ET CARCERE TVLLIANO.



ROmanum forum, quod & Latium appellauit Statius, à radicibus Capitolij producebatur secundum longitudinem, vsque ad Ecclesiam S. Mariæ Nouæ, vt testatur Dionys. memorans Valerium in colle imminenti

minenti foro domum habuisse, cumque supra demonstratum sit domum hanc in Velia fuisse, è regione eiusdem Ecclesiæ, fuit necesse forum eo vsque peruenisse, quo ei imminerer; ab origine autem Vrbis angustiores fines habuisse opinamur. Nam cum Plinius narret, Curtium ab arce decurrisse, egisseq; Romanos effusos, toto, quantum forum est spatio, vsque ad portam Palatij, visumque sit Romulum Iouis Statoris templū in radice Palatini montis, vbi exercitum firmauerat, posuisse, satis coniјcimus, forum ipsum non vltra primos radices eiusdem montis terminos habuisse, Multis verò post annis ampliauit Augustus teste Suetonio. *Comitium* verò erat foro iunctum, vel potius ipsius fori pars à prædicta porta ad eandem Diuæ Mariæ Ecclesiam. At priusquam de eo agamus, quæ in foro erant, videndum est.

CARCER TVLLIANVS.

In radice Capitolij, qua parte mons ipse ortum brumalem spectat, Carcerem ædificasse Ancum Martium sic docet Liuius: Fecit carcerem media Vrbe: imminentem foro, ad terrorem crescentis audaciæ. Partem deinde addidit Tullius, cui Tulliano nomen imposuit, de quo Calp. Flaccus ita scribit: Video Carcerem Publicum, saxis ingentibus structum, angustis foraminibus, & oblongis, lucis vmbram recipientibus. in hunc abiecti rei robur Tullianum aspiciunt, & quoties iacentes ferrati postis stridor excitat, exanimantur, & alienum supplicium spectando suum discunt: sonant verbera intus, recusantibus spurca manus carnificis ingeritur, sed & ianitor inexorabilis pectore, qui flente matre siccos tenet oculos, illuuies corpus exasperat, manus cathenæ premunt. Describitur perbelle etiam à Salustio hoc modo: Est locus in Carcere, quod Tullianum appellatur, vbi paulò descenderis, depressus ad læuam circiter XX. pedes, eum muniunt vndiqs parietes, atque insuper Camera lapideis fornicibus iuncta, sed inculta tenebris & odore fœdo, atque terribilis eius facies. Vnde autem dicatur, hæc declarant Var. verba: Carcer à coercendo, quod exire prohibentur, in hoc pars, quæ sub terra Tullianum, ideo quod additum à Tullio rege, quod Syracusis, vbi hac de causa custodiuntur, vocantur Lathomiæ. Lathomiæ enim est græcum, & maximè a Syracusanis qui Lathomias & appellant & habent, ad instar Carceris, ex quibus locis excisi sunt lapides, ad extruendam Vrbem, auth. Sex. Pop. Cice. septima actione in Verrem; Lathomias, inquit, Syracusanas omnes audistis, plerique nostis, opus est ingens, magnificum Regum & Tyrannorum, totum est è Saxo in mirandam altitudinem depressum & multorum operis penitus excisum, nihil tam clausum ad exitus, nihil tam septum vndique, nihil tam tutum ad custodias, nec fieri nec cogitari potest. Sen. Sabinum in Lathomias fuisse damnatum tradit: Liuius verò principes Ætolorum tres & quadraginta; inter quos Democritus & frater eius erant Romam à Marco Attilio deductos, in Lathomiasque coniectos. Erat autem Tullianum sicut hodie videmus duplex superior & inferior Camera; Superiori extat adhuc foramen spiraculi causa additum, vt retulit Flaccus. Locus nunc Diuo Petro, cognomento est dicatus.

SEQVITVR INDEX ANTIQVITATVM ET INSCRIPTIONVM Romanarum centum & triginta itemque aliarum rerum memorabilium, in vsum peregrinantium concinnatus, vt si qui fortè sunt, qui loca ipsa inspicere cupiant, habeant ansam & occasionem de locis ipsius altius inquirendi.

1. Ingentem Dircem quam spectas, marmore ab vno,
   Sculpsit Taurisius quondam & Apollonius.
   Deinde ad vecta Rhodo est, & primùm condita in æde
   Pollio, quam Romæ struxerat, Asinius.
   Thermarum inde Antoni inter monumenta reposta,
   At nunc Farnesi Patris in æde sita est.
2. Laocontis signum è marmore mira arte factum, non quale à Virgilio, ac Plinio, sed cuiusmodi à Græcis Poetis describitur, In pontificio viridario.
3. Nili è marmore signum ex Ægyptiorum mystica illa doctrina sculptum, mira nobilis artificis manu. In Vaticano Pontificis viridario.
4. Apollinis simulacrum marmoreum, quod Romæ in celeberrimo loco, Beluedere vulgò appellant, excellentis alicuius manu celebratum, ibidem.
5. Tyberis fluuij simulacrum è marmore, excellentis artificis opus. In Vaticano viridario.
6. Milo alijs Antinous in hortis Pont. In Vaticano.
7. Nymphæ cuiusdam dormientis simulacrum è marmore, mira arte factum: quod quidam propter adiectum serpentem Cleopatræ imaginem putant. In viridario Vaticano.
8. Signum marmoreum Deæ incertæ. Ibid.
9. Signum aliud Deæ incertæ è marmore. Ibid.
10. Vestæ Deæ signum è marmore, vt licet conijcere. Ibid.
11. Deæ incognitæ signum è marmore. Ibid.
12. Iuliæ C. Petronij Vxoris statua marmorea. Ibid.
13. Cybeles turrita imago è marmore, cuiusmodi ab antiquis fingebatur. Ibid.
14. Fortunæ imago marmorea. In viridario Vaticano.
15. Iuuentas Dea è marmore. In pontificis viridario.
16. Pudicitia è marmore. Ibid.

17. Floræ

17. Floræ Deæ ſimulacrum è marmore. In Vaticano viridario.
18. Polyhymnia è marmore. Ibid.
19. Deæ cuiuſdam ſignum è marmore. Ibid.
20. Coloſſus celebris in hortis Cardinalis Cæſij, cui Dacia capta ſubeſt.
21. Syluano & Herculi ſanctiſſimis Dijs ſacrum & Caius Domitius Marcus donum fecit.

In palatio Cæſiano:

22. M. Fabio M. T. Gal. Coloni & Mediolanenſes patrono.
23. P. Cælio P. F. Ser. Balbino & Decuriones ſua pecunia.
24. Monumentum Græcum.
25. L. Cornelius Scipio Orestus, V. C. augur, &c. Tuſco & Anulino Cos.
26. Epitaphium Mygdonis carmine.
27. Q. Cæcilio Feroci Epitaphium M. Gauius Charinus ſtatuit.
28. P. Scanius Florus Herculi D. D.
29. Statua cum hac inſcriptione καλῶς τελωνήσαντι.
30. Ex autoritate Imp. Cæſaris Diui Neruæ F. Neruæ & Titus Iulius ferox.
Curator aluei & riparum Tyberis & cloacarum Vrbis terminauit, &c.

31. Diua Plotina Aug. ſtatua.
32. Caio Heluio Caij filio Cor. Celeri & Heluio Felici patri,
33. Imp. Cæſaris Diui F. Auguſtus pontifex Max.
34. Colleg. II. Augurum autore Imp. Cæſari Diui Traiani Parthici F. &c.
terminos pomerij reſtituendos curauit.
35. Anubis in forma matronæ, ſtatua cum litteris Hieroglyphicis.
36. Lemno Aug. 1. Prot. Patrimoni & Hæred. & Domitiæ Phylidi,
L. Domitius Lemnus.
37. C. Domiti. C. F. Pal. Veri vixit annis XXXXI. Menſibus VII. diebus XII.
Voluſia Seuera coniunx marito optimo & indulgentiſſimo.
38. Dis Manibus. Cn. Ofillio Cn. F. &c. Cn. Ofillius Succeſſus, &c.
Antonia reſtituta parentes filijs pientiſſimis fecerunt, & ſibi & ſuis libertis libertabuſq;
poſteriſque eorum:
39. D. M. Q. val. Q. F. Poſtimio Romulo patri dulciſſimo equo publico, &c.
Poſtimius Romulus Filius & nepotes.
40. D. M. Otacilia L. L. Primigenia fecit ſibi & collibertis.

41. D. M. L. Iauolenno Phæbo marito optimo Licinia Cynegis fecit.
42. D. M. Eugrapho F. Apatæ matri eius, Eugrapho nepoti eius, Adeptus & sibi & suis.
43. D. M. M. Ogulnio Ascanto. vixit ann. L. &c.
44. Dis Man. M. Numisio Loto &c. patri optimo indulgentis. &c.
45. D. M. Clodiæ Auitæ, hæredes ex testamento.
46. Dijs Manibus. Claudio Hylio, vixit ann. IIII. & pater filio carissimo.
47. Dis Manibus, C. Vmbricius Veteranus, sibi & vmbriciæ Delphidi coniugi suæ, &c.
48. L. Veturio Aug. L. ab Epistolis Latinis, Manto Vxor marito posuit.
49. Sexto Petronio Probo Anicianæ domus columini deuotissimi Filij dedicarunt.
50. Epitaphium Aniciæ Faltoniæ Probæ.
51. D. M. Vllæ Secundinæ Filiæ Corneliæ Tyches Vxoris.
52. P. Scantius Philetus fecit sibi & Scantiæ Nicælib. requietorium. Amicis benefacere semper studiosus fui.
52. Dijs Manibus, Successi Fil. Cæsia Gemella mater pijssimo filio de suo. Vixit ann. IX. Mens. IIII. Dieb. XV.
Fatis peractis mater eodem est condita, quæ post obitum Filij vixit ann. IIII. Mens. XI. dieb. VIII.
53. Sexto Petronio Probo Prouinciæ Africæ præfecto.
54. Dis Manibus, Libano Aug. L. à cura amicorum, Vix. ann. XXXIX.
55. Ingratæ Veneri spondebam munera supplex Erepta coniunx Virginitate tibi, &c.
56. D. M. Cæsiæ Daphenæ Dianæ & coniugi optimus maritus.
57. I. O. M. D. Aur. Iulianus Eq. R. sacerdos huius loci D. D.
58. Atimetus Pamphili Ti. Cæsaris Aug. L. L. Anterotianus sibi D. Claudiæ Homonoeæ Collibertæ & contubernali, &c.
59. Dis Manibus Athaniæ Epielidis, &c.
60. D. M. L. Statio L. F. Asclepiadæ, &c.
61. Magno & inuicto Imp. Cæs. C. Val. Aurel. Constantino.

[41–52: in ædibus Cæsianis.]

[55–57: Apud Cardinalem Cæsium.]

62. Partho-

62. Parthorum reges duo captiui è nigro lapide, in cuius medio eſt coloſſus. Ibid.
63. Simulacrum aliud ſine brachijs. Ibid.
64. Satyri ſignum puerum docentis mira arte factum è marmore. Ibid.
65. Conſulis ſtatua marmorea. Ibid.
66. Amazonis ſtatua marmorea. Ibid.
67. Agrippina Marci Agrippæ filia. Ibid.
68. Herculis ſignum è marmore, Glyconis Athenienſis excellentis artificis manu elaboratum. In ædibus Farneſij.
69. Gladiatoris ſignum marmoreum. Ibid.
70. Commodi Imperatoris ſimulacrum è marmore, excellentis artificis opus, habitu gladiatoris, quo delectabatur. Ibid.
71. Deæ ſimulacrum è marmore, nobilis artificis manu elaboratum. Ibid.
72. Roma è lapide Porphyrite, capite tamen, brachijs & pedibus æneis. Ibid.
73. Veſtas Dea è nigro marmore. Ibid. capite tamen manibus & pedibus ex albo.
74. Hermaphroditus ex Indiche lapide. Ibid.
75. Minerua marmorea. In ædibus Cardinalis
76. Æſculapius è marmore. Ibid.
77. Hadrianus Auguſtus. Ibid.
78. Spei ſtatua marmorea. in hortis Ferrariæ.
79. Hygia è marmore. Ibid.
80. Ceres. Ibid.
81. Diana
82. Iuno
83. Æternitas
(81–83) è marmore. Ibid.
84. Duæ ſtatuæ incognitæ pulcherrimæ. Ibid.
85. Anteros. Venus. Eros. Ibid.
86. Venus Cypria è marmore. Ibid.
87. Tyro Herculis Vxor. Ibid.
88. Mnemo ſyne è marmore. Ibid.
89. Vrania.
90. Pallas.
91. Polyhymnia.
92. Comœdia.
93. Bellona.
94. Herculis ſimulacrum.
95. Paſtoris ſignum.
96. Simulacrum.
97. Simulacrum Deæ incertæ.
98. Veneris ſimulacrum.
99. Simulacrum Deæ incognitæ.
100. Cereris ſignum.
101. Antiqua ſtatua Tyberis fluuij.
102. Nili ſtatua.
103. Auguſti ſimulacrum.
(93–103) è marmore ibidem.
104. C. Iulij Cæſaris ſimulacrum marmoreum. Ibid.
105. Simulacrum æneum. in Capitolio.
106. Simulacrum aliud æneum mira arte elaboratum. Ibid.

107. Herculis simulacrum æneum excellentis artificis opus, ibidem.
108. Constantinus Imperator, ibidem.
109. Fragmentum è marmore, mira arte elaboratum, Ibidem.
110. Sabinæ statua marmorea in ædibus Capranicæ.
111. Statua matronæ Sabinæ Augustæ apud Card. Vellæum.
112. Lupæ Romulum & Remum lactantis imago Romæ. In ædibus familiæ à Valle.
Huic similis visitur ænea in Capitolio.
113. Marsyæ signum è marmore, mira arte factum in ædibus valensibus.
114. Bacchæ signum marmoreum. Ibidem.
115. Satyri effigies, in ædibus familiæ à Valle, huic similes varij in Vrbe conspiciuntur.
116. Bucephalus & Alexan. Mag. opus Phydiæ.
117. Bucephalus & Alexander M. opus Praxitelis ante ædes Cardinalis Ferrari.
118. Statua incognita, in ædibus Hieronymi de Cupis prope templum S. Mariæ de anima.
119. Alexandri M. vulgo Pasquinus saucium detinens ante ædes Alphons. Caraffæ card.
120. Oceani Effigies, Romæ in ædibus nobilis Romani, è regione plateæ de Sciarra.
121. Aqua Traiana, vulgo Marphorius in foro. Boario.
122. Adonidis signum integerrimum reperitur, excellentis artificis opus, è marmore, in ædibus Episcopi Aquinatis.
123. Pyrrhi regis Epirotarum è marmore, simulacrum, in ædibus Maximorum.
124. Simulacrum incognitum, in Villa Margarethæ de Austria.
125. Genij simulacrum è marmore. in Villa Margarethæ de Austria.
126. Trophæa Mariana, vt vulgo existimant, Romæ in via Exquilina.
127. Trophæa alia Mariana, ex marmore. Ibid.
128. Ædificium magnificum quadriforme, egregijs pergulis & columnis ornatum in pal. Farn.
129. Duæ deæ Floræ ex pario marmore admirandæ. Ibidem.
130. Equile Cardinalis, in quo sæpenumerò vltra 150. Equorum continentur.

Cæterùm præter septem suprà Commemorata templa primaria, reperiuntur adhuc sex, quæ portas habent æneas (quanquam & apud S. Ioannem Lateranensem etiam aliquot, sed paruæ) sunt autem.

1. S. Petrus, in Vaticano.
2. S. Maria rotunda, Πάντων θεῶν.
3. S. Adrianus, olim Saturni.
4. SS. Cosmas & Damianus, olim Castoris & Pollucis.
5. S. Agnes, olim Bacchi.
6. S. Paulus in via Ostiensi.

Cryptæ

Cryptæ ſubterraneæ, quæ latebræ & ſepulcra Chriſtianorum fuerunt, plenæ venerationis, & viſu admirabiles, quarum etiam D. Hieronymus meminit: ſunt quatuor.

Apud
- 1. S. Agnetem — extra — Viminalem — Portam
- 2. S. Pancratium — extra — Aureliam — Portam
- 3. S. Sebaſtianum — extra — Capenam — Portam
- 4. S. Priſcillam — extra — Flaminiam — Portam

Hoſpitalia, in quæ infirmi recipiuntur & magna diligentia curantur, tanta magnificentia, vt inter recentia Vrbis monumenta nihil ferè prædicatione dignius: ſunt autem multa: primùm publica omnium Nationum, & mortalium.

- S. Spiritus, in vaticano.
- S. Saluatoris, in Cælio.
- S. Iacobi de Auguſta, in valle Martia.
- S. Maria de conſolatione, in velabro.
- S. Antonij, in Eſquilino.
- S. Mariæ de anima, Germanorum & Belgarum.
- S. Ludouici, Gallorum.
- S. Iacobi, Hiſpanorum.
- S. Thomæ, Anglorum.
- S. Petri, Vngarorum.
- S. Brigitæ, Suecorum.
- S. Andreæ prope Argentinam, Flandrorum.
- S. Ioan. Baptiſtæ Florentinorum, &c.

Cæmiteria ſacra, & quæ partim olim fuêre, partim nunc ſunt, 72.

De cæmiterijs Vrbis Romæ quàm plurimis vide Onuphrium Panuiniũ, cap. IX.

1. S. Agnetis.
2. Balbinæ, via Ardeatina.
3. S. Calixti, ad S. Sebaſtianum.
4. Catacumbæ.
5. Comodillæ, via Oſtienſi.
6. S. Damaſi.
7. S. Felicis.
8. S. Felicitatis.
9. Iordanorum.
10. Nicomedis.
11. Peregrinorum.
12. S. Pontiani.
13. S. Priſcillæ, via Salaria.
14. Vrſi Pileati, ad S. Balbinam.
15. Aproniani.
16. Baſillæ.
17. Calopodij, via Aurelia.
18. Ad Cliuum cucumeris.
19. Cyriaci, via Tiburtina.
20. Domitillæ, via Ardeatina.
21. Ad duas Lauros.
22. S. Hermetis.
23. Inſalatarum, via Portuenſi.
24. SS. Nerei & Achillei.
25. S. Pancratij.
26. Prætextati, via Appia.
27. Thraſonis.

Bibliothecæ Pontificis tres in Vaticano Palatio, vna clausa, quæ est selectorum librorum, cui adiuncta etiam alia: tertia quæ vulgo omnibus diebus non festiuis per duas horas patet Græcis Latinisque libris calamo & quæ in orbe terrarum, in membranis exaratis instructiss: beneficio Nicolai V. Pont. Max. Item noua Xisti. V. P. P. quarum inscriptiones, picturæ & carmina singulari lib. ab Ang. Rocho Episc. edita sunt.

Hortos Antiquitatis studio si habent amæniss. summi Pontificis, quibus sese oblectare, & animum atq; oculos pascere possunt: nulli n. negatur aditus, & aliorum multorum ædes ac vineas, sed horum maximè insignium ILL. motum Cardinalium.

1. Bellaij.
2. Carpensis.
3. Farnesij.
4. Soderinorum.
5. Boccatij.
6. Ferratiensis.
7. Cæsij.
8. Visci, trans Tyberim.
9. Achillis Bocchij.
10. Monachorum S. Pet. ad vincula.

PALATIA DD. DE MAXIMIS.

Conseruatorum in Capitolio.
Portiorum in regione Pineæ.
DD. de valle. DD. Cæsarinorum.
Saluiati trans Tyberim.
Lateranense, à Sixto V. ex fundamentis magnificentissimè extructum.
S. Georgij in Damaso.
Cardinalis Carpensis D. de Rustic.
Columnensium, in regione Triuij.
Collotij in campo Martio.
Vrsinorum in Capitolio.
DD. de Maximis. Farnesianum, in campo Floræ.
Cardinalis de capite ferreo, prope campum Floræ.
Busalotum, in regione campi Martij.
Vrsinorum, in campo Floræ & circo Flaminio.
S. Marci, in capite Viæ latæ.

In summa Cardinalium Palatia per totam Vrbem dispersa, & præcipua, quæ modò commemorata, & singula turres singulas adiunctas habent. Ædes ciuium satis bellæ, & partim vetustatis monumentis, marmoribus, picturis; partim hortis fontibus, nymphæis exornata.

SEQVVNTVR PONTIFICII PALATII OFFICIA ET COLLEGIA.

OFFICIA & Ministeria Pontificis multa sunt, & superat illius Aulæ magnificentia omnes Christianorum principum, & tanta eius est obseruantia, vt ne Cardinales quidem, qui dignitate Regibus comparantur, Vrbe exeant, nisi petita, & impetrata licentia. Horum in vrbe semper ad minus XL. si non L. sunt. Sæpe LXXII. interdum plus minusq; iuxta Pontificis Max. arbitrium & creationem. Archiepiscopi deinceps plurimi, & Episcoporum magnus numerus.

IN FA-

Auditores Rotæ Pont. iudi.	XII.
Clerici Cameræ.	VII.
Thefaurarius.	I.
Auditor.	I.
Regens Cancellariæ.	I.
Protonotarij Apoftolici.	VII.
Subdiaconi.	VI.
Acolyti.	VIII.
Secretarij Apoftolici.	VIII.
Corrector Cancellariæ.	I.
Summifta.	I.
De Confuetis.	I.
Abbreuiátores maiores.	XII.
Abbreuiatores minores.	VI.
Cuftos Cancellariæ.	I.
Secretarius Schedularum.	I.
Hoftiarius Cancellariæ.	I.
Scriptores Apoftolici.	CI.
Cubicularii Apoftolici.	CXL.
Milites S. Petri.	CCCC.
Milites S. Pauli.	CC.
Breuium Scriptores.	LXXXXI.
Procuratores Pænitentiariæ.	XXIV.
Scriptores pænitentiariæ.	XXVIII.
Collectores plumbi.	XXVIII.
Correctores pænitentiariæ.	II.
Sollicitatores de ianizeris.	C.
Collectores Archiui.	X.

Scriptores Archiui.	X.
Magiftri plumbi.	III.
Secretarij Bullarum Salariatarum.	VIII.
Regiftratores Bullarum earundem.	IV.
Magiftri Regiftratarum Bullarum.	IV.
Auditores Contradictarum.	XIV.
Magiftri fupplicationum.	IV.
Clerici regiftri fupplicationum.	VI.
Notarij Cameræ Apoftolicæ.	IX.
Scriptores regiftri fupplicationum.	XX.
Notarij Auditores Cameræ.	X.
Notarij Rotæ.	XLVIII.
Notarij Vicarij Papæ.	IV.
Notarij Gubernatoris Ciuilis.	II.
Notarius maleficiorum.	I.
Notarius Cancellariæ.	I.
Præfidentes Ripæ.	CXLI.
Portionarij.	DCXII.
Curfores.	XIX.
Seruitores armorum.	XXIV.
Virgæ rubeæ.	XVI.
Catenæ facri Palatij.	LXII.
Portæ ferreæ.	XXVI.
Equites leuis armaturæ communiter	C. vel CC.
Bombardarij milites vel fclopetarij.	CCC.
Heluetij cuftodientes portas Palatij Pont. & quotidianas excubias agentes.	CC.
Interdum etiam.	CCC.

XIX. SEMINARIA, ET COLLEGIA NATIONVM omnium à GREGORIO XIII. Pont. Max. magno Ecclesiæ Catholicæ commodo ROMÆ instituta.

1. Collegium Societatis Iesu, quo CC. aluntur doceanturque artes omnes futuro Theologo & sacerdoti necessariæ.
2. Germanicæ Gentis alumnorum Pont. anno II.
3. Neophytorum ex Hebræorum filijs an. Pont. V.
4. Anglorum, qui ob fidem Catholicam pueri parentes patriamq; liquêre. Pont. anno V.
5. Græcorum alumnorum collegium Catholicæ fidei propagandæ; templumq; constructum Pont. anno VI.
6. Maronitarum è monte Libano seminarium.
7. Illyricorum seminarium Laureti, post Romam translati sunt. Pont. anno VIII.
8. Viennense, in Austria.
9. Pragense, in Bohemia.
10. Græcense, in Styria.
11. Olmucense, in Morauia.
12. Braunspergense, in Prussia.
13. Mussipontanum, in Lotharingia.
14. Vilnense, in Lituania.
15. Claudiopolitanum.
16. Funaense collegium in Iapone.
17. Vsaquiensis domus probationis Societatis IESV, in Iapone.
18. Arimaense seminariū in Iapone.
19. Fuldense seminarium in Hassia: pontificatus anno XIII.

(8.–18.) Pontificatus an. XI.

Quis miseranda videt veteris vestigia ROMÆ,
Ille potest meritò dicere, ROMA fuit.
At qui celsa nouæ spectat pallatia ROMÆ,
Hic meritò poterit dicere, ROMA viget.

Augustæ Vindelicorum, apud Chrysostomum Daberium.